

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 9107

**Auteur(s) :** Eude des Ferrières [particulier]

**Bénéficiaire(s) :** Savigny-le-Vieux, Sainte-Trinité de Savigny (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** [1199-1202]

**Lieu d'émission :** Caen

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Eude des Ferrières renonce aux droits qu'il pouvait avoir par l'intermédiaire de sa femme sur l'église Saint-Patrice du Teilleul, église qui avait été donnée à Savigny par Robert de Saint-Patrice, grand-père de sa femme. Eude de Ferrières et sa femme Jeanne reçoivent de l'abbaye de Savigny pour leur renonciation dix livres angevins, ainsi que dix livres pour marier la sœur de Jeanne, Denise, et dix livres pour marier Avise, fille d'un deuxième mariage de Robert de Saint-Patrice

## Tableau de la tradition

### Original

A. Paris, Arch. Nat., L 976, n° 1143.

## Dissertation critique

Transcription : Claude Groud-Cordray (Cartulaire de l'abbaye de Savigny ou Liber cartarum domus Savigneii, episcopatu Abrincensi, n° CX)

La charte s'arrête à mémoire commendavi.

Date : 1199-1202, sans doute 1201. Voir la cédule de l'acte qui suit.

### Texte d'après A

Universis Christi fidelibus ad quos presens scriptum pervenit Eudo de Ferreriis salutem. Noverit universitas vestra quod cum Robertus de Sancto Patricio miles juste et legitime dedisset Deo et abbacie sancte Trinitatis de Savigneio et monachis ibidem Deo servientibus quicquid juris habebat in ecclesia Sancti Patricii de Telliolo, videlicet jus patronatus et duas garbas decime ejusdem parrochie que ad se pertinebant, tandem defunctus est, relictis superstitibus duabus neptibus suis videlicet Johanna et Dionisia filiabus Ricardi Lebigot filii sui jam defuncti, relictis quoque superstitibus Roberto filio et Haois filia predicti Roberti de secunda uxore susceptis, cum autem idem Robertus prefati Roberti filius sine prole mortuus esset et hereditas patris sui Roberti memorati jure uxoris mee et Johanne primogenite filie predicti Ricardi ad me devenisset, jus patronatus in dicta ecclesia et duas garbas decime que prefatus Robertus miles habuerat jure uxoris mee reclamavi. Sed cum ego et uxor mea Johanna et Dionisia soror sua et Haois filia dicti Roberti de secunda uxore manifeste cognovissemus jus monachorum Savigneii in dicta ecclesia et decima et memoratam donationem legitime factam fuisse, ab intentione nostra omnino destitimus et eidem donationi prebuimus assensum, prius in curia domini Johannis regis apud Moritonium et postea Cadomi ad scararium. Juramento quoque firmavimus ego Eudo et uxor mea Johanna et predictae Dionisia et Haois

quod abbacie de Savigneio per nos vel per alios super eadem ecclesia et jure patronatus et dicta decima nullam unquam calumpniam aut molestiam faciemus. Abbas autem et monachi Savigneii, nobis compacientes et nostre bone voluntatis devotum attendentes affectu, dederunt michi et Johanne uxori mee decem libras andegavensium et in auxilio ad maritandum memoratam Dionisiam decem libras andegavensium et in auxilio ad maritandam predictam Haois decem libras andegavensium. Ut igitur et predicta donatio et nostra concessio rata et stabilis maneat in perpetuum, eam carta presenti et sigilli mei munimine roboratam de assensu predictarum uxoris mee et aliarum duarum mulierum memorie commendavi.

(la cédule de l'acte) Factum est hoc presentibus baronibus scacarii apud Cadonum : Sansone abbate Cadomi, Radulfo abbate, Petro de Leons clerico, Gaufrido de Cortona clerico, Willelmo de Livet clerico, Willelmo fratre Roberti comitis de Seonneis, Radulfo de Rupetra, Henrico de Clarario, Radulfo de Mondrevilla, Theobaldo Pikeneio et monachis Benedicto de Basenvilla, Hugo de Croleio, Ansketil de Arreio. Item de eodem. Abbas de Savigneio et monachi reddiderunt comptum de VIII solidis pro uno bisancio pro audiendo fine facto inter eos et Eudonem de Ferrariis et Guarinum et Dionisiam et Haois et Johannam uxorem predictam (sic) Eudonis de Ferrariis de presentatione et duabus garbis ecclesie Sancti Patricii de Teillol, sicut carta ejusdem Eudonis testatur. In thessaurario (sic) liberaverunt et quieti sunt. In compoto Ricardo de Fonteneio, presente Radulfo Thaison tunc senescallo Normannie, in rotulo domini regis, anno Incarnationis Domini M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup>I<sup>o</sup>.